

P. Christianus Oomen (1909-1966)

(Prov. Amstelodamensis)

Die 5 februarii huius anni 1966 P. Christianus Oomen, Provinciae Amstelodamensis Superior, obdormivit in Domino.

Iam per multos annos angustia pectoris renumque infausta conditione vexatus erat, quae mala latitudinem cordis animique virtutem haud minuerant. Vires autem corporis huic viro robustissimo ex inopinato defuere.

Natus die 2 novembris 1909 in pago Bavel, qui situs est prope civitatem Breda in parte neerlandica regionis brabanticae, ex insigni agricolarum familia, duodecim liberorum primogenitus, a teneris annis ad sacerdotium vocatum se sentiens, ab avunculo Patre J. Schrauwen, C.SS.R., beatæ Virginis Mariæ scapulario indutus et Sancto Alfonso dicatus, occasione triduanæ prædicationis quam fecit P. Chr. Boomaars, ex eodem oriundus pago, nostræ Congregationi nomen dare iam non dubitabat.

Vota religiosa die 9 sept. 1929 emisit, ac studiis rite peractis, die 26 septembris anni 1934 presbyteratus ordinem suscepit. Egregias ob dotes Romam missus est ut apud sic dictum Angelicum theologiæ sacræ magis incumberet. Doctoratus lauream adeptus reversusque in patriam, dogmaticam per duodeviginti annos Wittemii docebat. Catechetica quoque scientiam et artem apud nostros et docebat et exercebat, necnon apud puellas lycaei Sanctæ Magdalenæ Sophiæ, in oppido Vaals vigentis; insuper apud sacerdotes saeculares et regulares, qui se præbent formandos in Instituto Superiore Catechetico.

Capitulo Generali 1936 statutum erat, ut studentium nostrorum Praefectus internæ tantum iuvenum formationi sese voverent, dum totum regimen externum commendaretur domus Rectori, qui socium sibi adiungeret. Per annos octo, a 1939 usque ad 1947, strepitantibus armis et furore hitleriano patriam vastante, ille munere difficillimo ita functus est, ut plenam et superiorum et fratrum studentium fiduciam adipisceretur. Anteriore conditione restaurata, ei, post intervallum temporis Praefecto nominato, maiorem adhuc ab anno 1957 et meliorem curam adhibere suosque genuino S. Patris nostri spiritu imbuere licebat.

Talibus ac tot muneribus oneratus aliarum etiam animarum salutem magni se facere ostendebat, audiendo confessiones peregrinantium, sacerdotum coctus

licos praestantissimos ad ecclesiam Christi perducendo. Sacram vero scientiam totis viribus excolebat; in conventibus theologorum verba frequentissime faciens, congressus praesertim mariales libenter visitans, in colloquiis, quae sacerdotes et etiam lectores nostri, oecumenico spiritu moti, cum ministris protestanticis instituere solent, sapientiam et caritatem coniungens. Disertus magis lingua quam calamo, non multos libros edidit; ephemeridum autem diversarum paginas tractatibus brevioribus haud paucis ditavit; seriem a nostris editam, « Ecclesia Docens » nuncupatam, in qua documenta pontificia colliguntur, administrabat.



P. Christianus Oomen

Anno 1962, tota Provincia plaudente, Superior Provincialis nominatus est, cuius muneris alterum triennium complere ei non daretur.

Difficultates hodiernas bene perspicuus, omnium necessitatibus paterne occurrens, aures omnibus praebendo, manu forti suos ducendo, audaci verbo mitissime admonendo, his quattuor annis vere multa perfecit. Genuinum dilectae

Congregationis nostrae spiritum verboque vitaque urgebat, labores apostolicos ad normas recentiores dirigebat, conventicula aut patrum aut fratrum convocabat, confratres ultra maria sudantes visitatione confortabat, in patria laborantes vincula cum illis astringere adhortabatur. Sapientiam eius animique alacritatem, perdurante Capitulo Generali anni 1963 monstratam, patres ibi conscripti, ut fama refert, laudaverunt pariter. Novum autem, pro anno 1967 indictum, in sua Provincia praeparare satagens, ipse ad altiolem coetum vocatus est.

Anno enim 1965 ad finem properante, vires eius celerrime consumi videbantur. Medicus adscitus renes venenificatos et cor obsoletum esse iudicavit. In nosocomium assumptus ne per peritissimos quidem professores ad meliorem statum reduci potuit. Interea quietus in Domino se sanatum iri existimabat, sed cum finem sibi instare audiret, eadem tranquillitate animum subiecit. Alterutrum Consultorem, P. M. van Delft, vices suas gerere rogavit, eumque et alios adstantes una hora ante mortem amicissime dimisit, ut cum Deo suo solus esse posset. Die illo sabbati, 5 februarii, emisit spiritum.

Exequiae peractae sunt in ecclesia domui nostrae Amstelodamensi adiuncta. Aderant e nostra, sed et ex aliis Provinciis, confratres permulti. Iunxere se nobis plurimi saeculares et regulares sacerdotes. In eucharistia celebranda multi quoque laici actuose participaverunt. Legationes missae erant ab unione S.P.N.R. (i.e. fundatio neerlandicorum presbyterorum regularium), necnon a P.I.N.K. (pastorale institutum neerlandicae ecclesiae), in quorum praesidio sedem habuerat. Eminentissimus Dominus Bernardus Card. Alfrink aliique omnes Neerlandiae episcopi, una cum omnibus in nostra regione abbatibus et multis Ordinum Congregationumque superioribus, quos erga eum admirationis et amicitiae sensus habebant per epistulas nobis datas vivide expresserunt. Reverendissimus etiam vere Pater Superior noster Generalis et Rector Maior, missis et litteris et legatis, nos filios consolatus est. Diaconus missae, alter Consultor Provincialis, P. Th. Berkhout, oratione funebri defuncti imaginem et merita praeclare delineavit.

In paradisum coemeterii nostri communis, domui nebonensi prope civitatem Nijmegen adiacentem, statim deductus est, ubi ingens revera multitudo confratrum etiam extraneorum, sacerdotum et laicorum, iuvenistarum et fratrum studentium convenerat. Adstabat ad sepulcrum octogenarius tanti filii pater fortis in fide cum magna consanguineorum turba. Flores apposuerunt puellae, quarum religionem docendo aluerat. Angelorum autem tubas una cum exercitu nostrorum qui bonum certamen certaverunt ibi expectat, nobis fidei, spei et caritatis relinquens exemplum.